



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Contemplatio III. De Principiis Mundi extrinsecis seu de Causis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

CONTEMPLATIO III.

De Principiis Mundi extrinsecis seu de Causis.

Philosophi est non inhærere duntaxat principiis mundi intrinsecis, sed etiam extrinseca investigare, cum Scientia sit cognitio rei per causas; quarum existentiam, si quis negaret, hoc ipso omnem tolleret Scientiam, cum tamen omnibus à natura inditum sit Sciendi desiderium, imò dari causas, quotidiana probat experientia, cum utique nihil fiat de novo sine causa à qua, vel ex qua, aut per quam, vel propter quam fiat; unde meritò dicitur: felix, qui rerum potuit cognoscere causas. De his agemus primò in genere, tum in specie, ita tamen ut Causæ primæ specialem Contemplationem reservemus.

CAPUT I.

De Causis in genere.

§. I.

Quid & quotuplex sit Causa?

Aristoteles expressam causæ definitionem non dedit, fortè quia Antiqui ignorantes mysteria fidei non distinguebant causam à principio; satis tamen innuit, quid & quotuplex causa sit, dum docet, causam esse id, per quod respondetur interroganti, *ex quo, per quid, à quo, & propter quid* res fiat. Hinc deducitur primaria causarum divisio in materialem, formalem, efficientem, & finalem: cum enim res saltem naturaliter non fiant ex nihilo, requiritur aliquid præexistens, ex quo fiant, & hæc est causa materialis: cum verò hoc præexistens nondum sit illud totum, quod fit, aliquid accedat necesse est, quod causam formalem dicimus, & utraque hæc causa dicitur interna, totum in ratione partis constituens. Rursus cum nihil seipsum efficiat, requiritur aliud, à quo efficiatur, quod causam efficientem dicimus: quæ causa, quia non præsumitur temerè & inordinatè agere, propositum habet finem seu causam finalem. Sic causa materialis statua est aurum, ex quo fit: causa formalis est figura, per quam constituitur in ratione statua; causa efficiens est artifex, à quo fit: causa finalis est finis, propter quem illa fit, v. g. ut altari imponatur; & ad hæc 4. causarum genera reduci possunt omnes causæ reliquæ, ut patebit ex sequentibus.

Igitur causa dici potest, principium unde per se aliquid fit. Ubi principium ponitur locò generis, patet enim latius; cum conveniat Patri aeterno, respectu Filii, privationi &c. quæ non sunt causa: reliquæ particulæ constituent differentiam. Hæc definitio brevis est & clara, convenit omni & soli: omni quidem, quia complectitur quatuor prædicta causarum genera, & particula *unde* involvit 4. Aristotelis interrogationes: Soli verò, quia excluduntur ea omnia, quæ communiter à ratione causæ exclusa sunt, qualis est Pater æternus respectu

respectu Filii; Filius enim non est factus, sed genitus; fieri enim denotat aliquam indifferentiam aut insufficientiam ad existendum; item unio & actio, quæ non sunt propriè id, unde aliquid fit, sed quo aliquid fit: item conditiones & dispositiones puræ, quæ non sunt virtus, unde per se resultat effectus, sed tantum applicatio virtutis, aut negatio impedimentorum.

§. II.

Causæ Divisio.

Causa sic explicata variè dividitur. 1. In extrinsecam & intrinsecam: illa est, quæ ab effectu suo adæquatè distincta est, ut Deus respectu mundi: intrinseca est pars alicujus compositi, ut anima respectu hominis. 2. Dividitur in causam in actu primo, & causam in actu 2. illa est, quæ potest producere effectum; ista, quæ actu producit. Et prior quidem, si habeat omnia requisita, & sit omnino expedita ad agendum, dicitur causa in actu primo proximo: si non habeat, dicitur causa in actu 1. remoto. 3. In causam adæquatam seu totalem, & in partialem seu inadæquatam. Prior est vel collectio omnium causarum partialium ad effectum requisitarum, vel una causa se sola producens, aut potens effectum producere, qualis est Deus respectu Angeli, aut Angelus, saltem in genere causæ creatæ respectu suæ ubicationis. Partialis est, quæ se sola non sufficit, aut non influit in effectum, qualis est quilibet ex duobus equis currum simul trahentibus. Dividitur 4. in causam physicam & causam intentionalem. Physica est, quæ constituit, aut ponit effectum; intentionalis, quæ movet ut cognita, seu quæ dirigit ad effectum, persuadendo intellectum aut voluntatem causæ efficientis.

5. Causa extrinseca, alia est immediata, quæ immediatè producit effectum, uti est pater respectu filii: alia mediata, quæ producit causam effectus, qualis est avus respectu nepotis. 6. Alia est universalis, quæ influit in omnes vel plurimos effectus, uti est Deus, sol &c. alia particularis, quæ non in tam multos effectus, nec ita vagè influit, uti Scarabæus. 7. Alia est causa univoca, quæ influit in effectum ejusdem secum speciei, ut leo producens leonem: alia est æquivoca, quæ influit in effectum diversæ speciei, qualis est semper Deus. 8. Alia est causæ principalis, quæ agit principaliter & suo nomine, uti est Faber: alia instrumentalis, quæ agit ut medium alteri subordinatum, ut malleus. 9. Alia est causa per se, quæ producit effectum à se intentum, vel ad quem à natura ordinatur, uti est ignis respectu caloris: alia est causa per accidens, quæ producit effectum à se non intentum, qualis est Simia, quæ catulos suos nimium amando, & ad pectus stringendo suffocat. 10. Alia est causa necessaria, quæ posito toto actu primo proximo agit necessariò, uti sunt omnes causæ excepto Deo & creaturis libertate præditis: alia est libera, quæ posito toto actu primo proximo potest agere vel non agere, uti est Deus relatè ad omnes effectus creatos. Creaturæ verò rationales non sunt liberæ in ordine ad omnes effectus; cum homo non possit ad staturam suam cubitum addere: sed sunt communiter liberæ ad suas volitiones immediatè, & mediatè ad plurimos actus à volitionibus dependentes, v. g. ad studendum, ambulandum, &c.

Causa intentionalis subdividitur in causam finalem, moralem & exemplarem, seu idealem. Finalis est, quæ movet causam efficientem, ut fit: sic fa-

nitas

nitas movet ad deambulationem, ut per hunc motum corpus fiat aut conserve-
tur sanum. Moralis est, quæ movet causam efficientem, non ut sit, sed *quia*
est: Sic imperium Domini movet servum, ut laboret; non enim laborat, ut
Dominus laborem imperet, sed quia imperat, seu quia imperium est. Exem-
plaris autem sive sit interna, uti est idea in mente artificis; sive sit externa,
ut aliquod prototypum externum dirigit artificem ad assimilandum sibi ef-
fectum. Moralis subdividitur in allicientem, retrahentem & neglectam. Al-
liciens movet ad agendum, retrahens absterret ab agendo, neglecta potest qui-
dem movere aut absterre, sed hic & nunc contemnitur. Quæ causæ omnes
revocari possunt ad primaria quatuor causarum genera ex Aristotele superius al-
lata, nempe ad efficientem, materialem, formalem & finalem.

§. III.

Naturæ Prioritas.

PRioritatem in genere, ait Maurus, esse ordinem, per quem unum alteri ad-
ditur, quod fieri potest multipliciter: unde prima prioritas notissima est
temporis; sic dies hodiernus prior est crastino. 2. Est prioritas ordinis, qua-
lem habet inter scientias Mathematicas Arithmetica & Geometria; quia ab
his incipiendum, ut ordo servetur quam optimè. 3. Est prioritas dignitatis,
unde in quibusdam coenobiis, qui aliis præsunt, *Priores* nuncupantur: ad hanc
reduci potest prioritas loci. 4. Est prioritas rationis; cum res eadem secun-
dum nostrum concipiendi modum prior apparet sub uno conceptu quam sub
alio, sic intellectus est ratione nostra prior voluntate. 5. Prioritas est à sub-
sistendi consequentia, sic quia ritè infertur: datur canis, ergo datur animal;
non tamen vicissim: animal est prius cane. 6. Est prioritas naturæ, per quam
aliquid dependet ab altero in fieri aut conservari, sic sol est naturæ prior luce.
7. Est prioritas originis, qua nempe origine prius dicitur id, à quo est aliud
simpliciter, unde dicitur prioritas à quo, præcendens à prioritate temporis, na-
turæ & rationis: & si nulla talis prioritas interveniat, dicitur prioritas originis
pura, qualis datur in Divinis, ubi Filius ita procedit à Patre, ut tamen habeat
simultatem temporis, naturæ, & rationis; cum non possit concipi Pater existens
sine Filio, & Filius procedat sine dependentia reali, consequenter nulla inter-
veniat præcellentia unius Personæ super aliam.

Ex his potissimum in considerationem venit prioritas naturæ, quam variè
explicant Auctores; commodè videtur dici posse, illud esse naturæ prius, quod
ut aliunde existens præsupponitur ad hoc, ut aliquid fiat. Adeoque ipsa cau-
sa efficiens, decretum Dei omnipotentiam applicans, dispositiones & conditio-
nes ad agendum requisitæ, negatio impedimentorum per ipsam actionem non
auferibilibus, & quidquid se tenet ex parte actus primi proximi, ut causa com-
pletè sit ad agendum expedita, id totum dicitur naturæ prius ad effectum: non
item reliqua, quæ non ita præsupponuntur, uti est causa finalis, causæ intrinse-
cæ quæ tales, effectus simultanei, actio, effectus ipse &c.

Quæres, utrum aliquid tempore posterius possit respectu ejusdem esse na-
turæ prius? Resp. ex communiore sententia id posse. Sic septem annorum
futura sterilitas movit Pharaonem ad implenda frumento horrea: Christus do-
lebat in horto propter peccata non commissa solum, sed etiam futura, quæ
perpe-

perpetraturi erant ingrati homines. Hæc & similia se habent velut causa moralis naturâ prior; ad hanc enim satis est, ut duas contineat formalitates (plus enim gratis requiritur) nempe ut moveat *quia est* in aliqua temporis differentia, & ut existat aliunde seu independenter ab effectu, ad quem movet, & est naturâ prior: sed utraque hæc formalitas invenitur in futuris, de quibus loquimur: ergo. Conf. 1. quia Theologi communiter docent, merita Christi fuisse naturâ priora & verè causas morales Gratiarum, B. Virgini, Adamo, aliis Progenitoribus collatarum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 2. *Propter quem omnia & per quem omnia.* Conf. 2. quia potest aliquod præteritum, v. g. injuria movere ad vindictam, *quia fuit*: ergo etiam futurum movere potest, *quia erit.*

Dices, quod nihil est, non potest nunc movere; sed futurum nunc nihil est: ergo. Resp. 1. retorq. arg. in causa finali, quæ juxta omnes movet, antequam existat realiter, licet in eo differentia sit, quod causa finalis moveat, *ut sit*; moralis, *quia est* in aliqua temporis differentia. R. 2. dist. maj. quod nihil est, neque realiter, neque intentionaliter, non potest nunc movere, con. si est aliquid saltem intentionaliter, ne. maj. sed futurum nunc nihil est realiter, con. intentionaliter, ne. mi. & conseq. Neque propterea movet cognitio, sed res futura, quæ cognoscitur: sicut dum exhibes reverentiam imagini Christi, non te movet imago, sed res per imaginem representata. Similiter dum amas Deum, non te movet cognitio, sed Deus cognitus ut amabilis; cognitio enim duntaxat applicatio motivi est. Idem dicendum, dum doles de peccatis commissis memoriæ inhærentibus, idem de aliis conditionibus applicativis, uti est applicatio ignis ad comburendum, sonus campanæ ad audiendum sacrum &c.

S. IV.

An dari possit mutua naturæ prioritas inter causas physicas?

Implicat mutua naturæ prioritas inter causas physicas pro eodem instanti, & quoad primam productionem. Probatur: si ignis A produceret ignem B, & ignis B pro eodem instanti produceret ignem A, tunc idem esset prior se ipso; hoc implicat: ergo. Prob. maj. quod est prius priore, est etiam prius posteriore; sed in dato casu ignis A esset prior igne B, respectu cujus ignis A est etiam posterior: ergo ignis A esset prior seipso. Conf. 1. quia idem constitueret actum primum proximum velut causa, & simul non constitueret velut effectus, quod est contradictorium. Conf. 2. Implicat, ut aliquod ens suam sibi procuret operandi potentiam per ipsam actionem; sic est impossibile, ut homo acquirat pedes per ambulationem, aut avis alas per volatum; potentia enim præsupponitur ad actum; sed hoc fieret, si possibilis foret talis mutua naturæ prioritas: si enim est possibilis, tunc causa producens effectum, à quo fit, procurat sibi suum ipsius esse; atqui esse causæ est ipsa potentia causæ: ergo. Hæc demonstratio notari debet; quia confirmat necessitatem entis à se, ut dicetur in demonstratione Dei.

Neque difficultatem patitur assertio, si termini ritè expendantur: possibile equidem esset in sensu diviso, ut ignis A produceret ignem B, & ignis B ignem A; sed non in sensu composito, eodem instanti, & quoad primam productionem.

nem. Deinde sunt quidam effectus simultanei, qui videntur ab invicem mutuò producti; ut cum manus calefacit chirothecam, & chirotheca manum, cum tamen ab eadem aut iisdem causis proveniant, uti in hoc casu ab igniculis, cessante agente contrario extrinseco, motis, & collectis. Præterea sublatio impedimenti videtur subinde causa effectus, cum tamen per eandem actionem removeatur, uti apertio fenestræ, quæ non est causa, cur ventus ingrediatur, sed effectus ejusdem impetus, qui ventum propellit, & fenestram aperit. Sed hæc & similia levioris sunt momenti, quam ut pluribus hic referantur.

§. V.

An possit dari mutua naturæ prioritas inter duas Causas morales, aut physicam unam, & moralem alteram?

Qui possibilitatem affirmant, eam in gemino casu conantur ostendere. 1. DEUS revelet Regi, Belli-Ducem quemdam victoriam insignem à Regis hostibus relaturum, non addito modo & instrumento, quo eam sit obtenturus: Rex verò donet Duci gladium in præmium anticipatum victoriæ, non ut gladio illo victoriam obtineat, sed quia illam unde demum obtinebit; Belli-Dux autem accepto gladio utatur, eodémque victoriam reportet, quæ obtineri potuisset sine hoc gladio. In hoc casu procul dubio possibili, victoria futura est prior naturâ ad gladium in genere causæ moralis; gladius autem est prior naturâ ad victoriam in genere causæ physicæ. 2. Ponamus revelari alicui militi, ipsum cras in carcerem conjectum iri: hæc autem conjectio futura moveat militem ad blasphemandum, non ut in carcerem mittatur, sed quia mittetur; tum verò hæc ipsa blasphemia moveat judicem ad militem conjiciendum in carcerem: en iterum mutuam prioritatem inter duas causas morales.

Qui tenent oppositam sententiam, dicunt, victoriæ non esse naturâ priorem ad gladium; quia nempe non est realiter aliunde existens, quam dependenter à gladio. Unde dicunt, Regem ad donandum gladium moveri à victoria futura tanquam à causa morali, seu quia est futura tantum conditionatè, sub hac scilicet conditione, si victoria aliunde est futura, quam per ipsum gladium; si verò est futura per ipsum gladium, movetur à victoria ad donandum gladium tanquam à causa finali; quia præmians non supponit, quod meritum sit aliunde quam ab ipso præmio. At verò Auctores prioris sententiæ dicunt, non opus esse, ut victoria sit aliunde realiter, sed satis esse, quod sit aliunde præcisi-
fivè, in quantum nempe cognoscitur ut absolutè futura; præscinditur tamen à modo, & non cognoscitur dependenter à quo futura sit. Ex quo vides, hanc esse puram quæstionem de nomine, in qua disputatur, quomodo particula *aliunde* in definitione prioritatis naturæ intelligenda sit: si enim velint intelligi aliunde realiter, clarum est, non dari mutuam prioritatem; si verò sufficiat intelligi aliunde præcisi-
fivè, non apparet, qua ex parte mutua prioritas repugnet.

CAPUT

CAPUT II.

De causa efficiente.

Dari causam efficientem non solum increatam, sed etiam creatam, satis patet ex Contempl. 2. ubi ostendimus agentia creata revera aliquid de novo producere. Et ratio à priori est, quia potentia physice operandi perfectio est primi Entis non minus participabilis à creatura, quam ipsum esse; cum ergo hoc tribuerit DEUS, potuit & illam tribuere. Et certè, qui tollit in viventibus facultatem immanenter operandi, tollit ipsa viventia. Nec obstat, quod Apost. dicat 1. ad Corinth. Deum omnia operari in omnibus; operatur equidem omnia, sed non semper solus. Causa autem efficiens dici potest, principium à quo physice aliud accipit esse.

§. I.

Causalitas causæ efficientis.

Causalitas causæ efficientis in actu primo est ipsa virtus agendi causæ intrinseca, quæ consistit partim in præcontinentia perfectionum ipsius effectus producendi, partim in fecunditate ipsius causæ respectu talis effectus. Præcontinentia autem una est formalis, quando causa easdem specie perfectiones habet, quas communicat effectui, ut cum Leo producit Leonem; alia eminentialis, cum causa tales perfectiones non habet easdem specie, sed in æquivalenti aut eminentiori gradu, uti est Deus respectu mundi. Quod autem alterutra hæc præcontinentia requiratur, videtur ex intellectus nostri dictamine nobis à natura congenitum, quo solemus ex perfectione effectus æstimare perfectionem causæ; hinc nemo est tam stupidus, ut ait Scotus, qui iudicet, hanc rerum universitatem potuisse produci à musca. Et ratio est, quia sicut id, quod nullum habet esse, non potest illud alteri communicare, ita etiam id, quod non habet esse perfectum, seu perfectionem effectus, non potest hanc alteri communicare; hinc natum est illud axioma: nemo dat, quod non habet. Ad hanc virtutem requiritur præterea fecunditas, vi cuius possit effectui communicare suas perfectiones; hinc licet Angelus contineat perfectiones alterius, defectu tamen fecunditatis, non potest alterum Angelum producere, uti nec anima rationalis aliam.

Causalitas causæ efficientis in actu 2. est ipsum actuale exercitium, via, & physicus influxus, quo mediante causa communicat existentiam effectui, & dicitur actio; sique effectus sit indifferens, ut ab hac vel alia causa procedat, entitas modalis creditur, distincta à causa & effectui, ob easdem rationes, quas de unione attulimus. Si verò effectus non sit ita indifferens, uti communiter censentur esse actus vitales, v. g. intellectiones, volitiones, quæ videntur ab alia voluntate vel intellectu, quam ab eo, à quo procedunt, oriri non posse, nec etiam à Deo solo posse produci; tunc non opus est actione distincta, sed ipse effectus cum actione identificatur, quia nulla est distinctionis necessitas.

§. II.

Actio & Passio.

QUÆR. 1. an actio & passio distinguantur? Resp. non distingui realiter, sed tantum formaliter; quia eadem forma, quæ denominat causam agentem, potest etiam denominare effectum passum seu productum; sicut eadem visio denominat oculum videntem, & murum visum; sed respectu agentis forma hæc vocatur actio, respectu effectus passio. Conf. ex Arist. qui ait, differre inter se actionem & passionem, sicut viam Thebis Athenas, & viam Athenis Thebas.

QUÆR. 2. in quo subjecto recipiatur actio? Resp. actiones immanentes, quales sunt actus vitales, qui intrinsecè uniuntur animæ, recipi in ipso agente; actiones verò transeuntes, per quas producitur terminus agenti non intrinsecus, recipi in passio, quod clarè patet in actione, qua Deus aliquid producit; hæc enim non potest in Deo recipi, & tamen Deum denominat agentem.

QUÆR. 3. an possibilis sit duplex actio totalis? Imprimis causa totalis alia dicitur totalis totalitate causæ, seu in actu 1. alia totalis totalitate effectus & influxus, seu in actu 2. Quod dari possint respectu ejusdem effectus duæ causæ totales in actu primo, est extra dubium; possunt enim duo equi currum trahere simul, quem quilibet trahere posset seorsim: sed dubitatur, an possint ita simul currum trahere, ut quilibet ponat totum influxum necessarium, ita ut effectus producat per duplicem actionem totalem, vel saltem totalem unam, partialem alteram? Resp. communiter, id fieri non posse naturaliter, quia nulla illius ostenditur exigentia à priori, nec probatur à posteriori; quia potius accidit, ut causæ totales conjunctæ suum attemperent concursum, ut patet in exemplo equorum superius allato.

An autem hoc possibile sit supernaturaliter, affirmant aliqui, negant alii. Ratio negantium est, quia alterutra actio esset essentialiter superflua, cum effectus existentiam suam sufficienter haberet ab earum una; Deus autem nihil potest facere superfluum essentialiter. Qui affirmant, dicunt superesse finem, quem prudenter intendere possit DEUS, ut nempe effectus existentiam suam habeat dependenter ab utraque causa. Sic Hurtadus arbitratur verosimile, quod unio inter corpus & animam Christi processerit à Spiritu S. simul & B. Virgine, tanquam à causis adæquatis in actu secundo.

§. III.

An causa possit agere, quando non est, & ubi non est?

AD 1. dico, non posse, ut enim ait Arist. 4. metaph. 4. *quæ non sunt, quomodo loquentur, aut ambulabunt?* Et ratio est clara, quia secundum axioma lumine naturæ notum, operari supponit esse; ergo quod non est, non potest physice agere, etiam si prius fuerit, ut volebant aliqui: hinc nemo sibi timet à cane mortuo.

Ad 2. dico, etiam causam non posse agere, ubi non est, seu in distans; ut enim agat in passum, debet eidem esse applicata vel immediatione suppositi per contiguitatem, vel immediatione virtutis, quæ ab agente ad passum usque extendi-

tenditur. Patet tum à posteriori, quia videmus causas nunquam aliter agere; tum à priori, quia videtur hoc debuisse fieri, alias non esset omnibus sufficienter provisum in mundo; agentia enim debiliora non se possent à fortioribus defendere, cum tamen iis natura indiderit, ut vel recedendo à causa, vel per interpositionem obstaculi se defendant. Conf. quia causa, quæ nec per se, nec per suam virtutem hîc præsens est, se habet respectu hujus loci, ac si non esset; quæ autem non est, non potest operari: hinc ex operationibus Dei ejusdem præsentiam infert S. Paulus, David, &c.

Sed, ut dicis, sol producit in terris lucem, calorem, & ignem: numquid hoc est agere in distans? Minimè: lux enim, si est accidens, producitur; si est substantia, profuit aut propellitur à Sole per totum spatium intermedium per actionem ad nos usque continuatam: idem de calore dicendum. Ignis quoque saltem ex parte à radiis solaribus aut producitur, aut jam in corporibus flammam concipientibus latens excitatur. Unde probabilissimum judico virtutem activam semper esse passo immediatè applicatam; neque enim aliter fit in effectis, de quibus constat; in aliis quoque magis occultis ita fieri censendum.

At si sol agit per actionem nusquam interruptam, cur hîc apud nos in majori à sole distantia plus est caloris, quàm in regione aëris Superiore, in qua præ frigore concrescunt nubes? Resp. hunc distantiae excessum respectu solis esse adeò modicum, ut nihil faciat ad rem; cum interea apud nos calorem multum augeant radii reflexi directis permixti, qui ad secundam aëris regionem, vel non perveniunt omnes, aut perveniunt magis languidi, magisque dispersi: quantam autem vim habeant radii reflexi, experitur ille, qui ambulat prope murum, qui radios solis directè incidentes reflectit. Deinde calor noster etiam provenit ab ignibus subterraneis, quibus fumus viciniore, quàm in secunda regione aëris; hinc montium cacumina sunt frigidiora locis profundioribus, aut subterraneis.

Alias hîc opponis experientias, quæ probant contrarium. 1. Quædam vetulæ solo aspectu teneros infantes lædunt, juxta illud Poëtæ: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* 2. Basiliscus solo aspectu homines occidit. 3. Conspectus lupi dicitur creare raucedinem. 4. Piscis Torpedo dictus, ita torpentem reddit piscatoris manum, ut cogatur & piscem hamo apprehensum, & arundinem dimittere. 5. Remora piscis exiguus naves maximas remoratur. 6. Si oleum ponatur in papyraceo folio ad modum vasis explicato, ita calefit oleum igne supposito, ut piscis concoqui possit absque papyri combustionem. His addè multa alia, quæ de siderum influxu, vi sympathica, virtute magnetica, vi imaginatiya &c. referuntur, in quibus admittenda videtur actio in distans.

Resp. Nos ista suo loco examinatuos, interim do hîc breviter generalia solutionis fundamenta. 1. enim multa ex his, quæ à variis referuntur, ut ait Duhamel, referenda sunt inter aniles cæcutientis philosophiæ fabulas, uti de lupo videtur, nisi fortè quis præ nimio timore & clamore raucedinem contraxerit. Deinde nec dubium est, quin plures hujusmodi effectus miri causam habeant magiam nigram: Reliqui effectus semper habent causam naturalem applicatam licet occultam. Hæc autem applicatio fit vel per effluvia corpusculorum, ab agente usque ad passum emissorum, vel per productam aliquam qualitatem in medio, & propagatam usque ad passum; quæ licet non producat effectum in medio, eò quod non sit dispositum, potest tamen producere in passo remoto & disposito; nam pro varietate subjecti recipientis varii sequuntur

tur motus, quod enim uni est venenum, alteri est antidotum: calor solis emollit ceram, lutum indurat. Hoc corpusculorum effluvium, ut alia omitam, luculenter constat ex diuturno Sanctorii Medici experimento, qui 30. annorum tractu ope bilancis advertit, plus intra diem nos substantiæ emittere continua evaporatione insensibili, quam intra plures dies per alios sensibiles meatus: imò aliqui post somnum inventi sunt per evaporationem deperdidisse usque ad tres libras. Hinc canes odorantur vestigia heri, leporis; igitur actio nunquam fit in distans.

Quod ex eo patet, quia si inter causam & passum interponatur obstaculum, non sequetur effectus, aut sequetur difficilius; ut enim clausis valvis interruptur radiorum solarium continuatio, ita si interponatur paries, aspectu suo nulla tibi nocebit vetula, basiliscus nullus; quia nempe sistitur qualitas maligna, aut corpusculorum effluvium, quibus etiam quædam fœminæ inficiunt specula. Quandoque tamen hoc effluvium etiam per poros parietis propagatur, ut patet in magnete, atramento magico, & aliis. Piscis Remora per seipsum applicatur, sed plerique credunt esse fabulam, quæ inde sumpsit exordium, quia eo tempore, quo navis in marino gurgite detinebatur, inventus est piscis navi adhærens, & hinc Remora dictus. Ignis autem agit per poros chartæ & in ipsam chartam, licet illam non accendat, quia ita oleoso humore penetratur, ut ab igne corripui non possit, nisi tanta vis ponatur, quæ sufficiat ad complexum ex charta & oleo corripendum. Quod si videatur impossibilis per effluvium communicatio inter agens & passum, dic tunc dari tertiam causam utrique communem & applicatam, v. g. cum in Gallia florent vites, in Anglia fervere dicuntur in doliis vina: dum floret hordeum, turbatur cerevisia; quod explicari debet per aëris temperiem, aut influxus siderum, in passo similiter disposito similes effectus producentium, uti sunt vina & vites, ex quibus illa habentur.

De Torpedine multa leguntur; certiora sunt, quæ habemus ex ultimis observationibus D. Reaumur, qui rem ita describit: Torpedo figuram habet Rajæ, ejus longitudo vix duos pedes adæquat; si manu tangatur, accidit sæpius, quamvis non semper, ut illico torporem sentiat manus & ipsum brachium, qui in principio intensus est, ac sensim evanescit. Si piscem vi comprimas, non tantus erit torpor, talis tamen, ut cogaris manum remove. Si tangas mediante alio corpore, torporem plus minusve senties pro ratione corporis interpositi. Si manum vicinam habeas, nec tamen tangas, nihil senties, uti nec si apprehendas caudam. Torpedo dorsum habet convexum: interiùs, si dissecetur, duo sunt ingentes muscoli, qui originem ducunt à capite, & desinunt ad initium caudæ, unus ad dexteram, alter ad sinistram: horum ope potest Torpedo dorsum & partes laterales contrahere & deprimere, ac violenta vi atque celerrimâ iterum restituere. Ex hac descriptione patet Torpedinem potissimum agere per impulsum, quem imprimit; unde dolor, qui sequitur, similis est illi, qui oritur, dum cubito in corpus durum impingimus: potest tamen fieri, ut animal iratum, dum ferit, simul evibret corpuscula torporem promoventia, quod tamen non ita advertitur, nisi fortè quatenus major dolor & torpor tactum immediatum consequitur. Atque ex his potest colligi, quale iudicium super hac re ferri debeat, & quomodo certa ab incertis distinguenda sint.

§. IV.

Quæ causa substantiam producat & accidentia?

Quæstio hæc potissimum agitur inter Peripateticos, qui passim admittunt formas & accidentia, quibus suppositis probabilius videtur 1. Accidentia sola non posse producere substantiam, quia non continent hujus perfectionem. 2. Quod nihilominus velut causa instrumentalis unâ cum substantia immediatè influant in productionem substantiæ; tum quia illorum præsentia semper requiritur, tum quia alias substantia non esset passio sufficienter applicata, ut patet in sole per radios ignem in terris producente. 3. Quod accidentia substantiæ intrinseca, uti calor igni, producantur ab ipsa substantia, à qua emanant veluti proprietates, neque enim apparet causa alia ejusdem creata. 4. Accidens potest producere accidens, uti calor in aqua calorem in manu. 5. Probabiliter potest etiam accidens ad extra provenire à substantia simul & accidente ad intra, uti calor in cubiculo ab igne & calore igni intrinseco; quia in utroque est fecunditas, virtus & applicatio.

Rem longè aliter explicant Atomistæ, ut patebit Contemp. seq. in quorum principiis nulla forma nec substantialis, nec accidentalis, nec aliud producit ad extra, nisi motus, & quidem tantum in passio immediatè applicato: hinc Sol non agit immediatè in terris, sed tantum mediantibus radiis hucusque propulsis: ignis non calefacit cubiculum, nisi per emissâ corpuscula ignea aëri permixta. Et certè, uti ajunt, si experientiam consulamus, non constat nobis, nos aliud ad extra producere, nisi impulsum & motum, ad quem referuntur halitus & effluvia; idem videmus fieri in aliis, de quibus certò constat; idem de Angelis docent Theologi. Inde colligunt Atomistæ, idem evenire in aliis effectibus magis occultis, etsi modus subtilior, quo illud accidit, non ita pateat oculis; unde toti sunt in explicando hoc modo, neglectis quæstionibus aliis, quas putant esse de non supponente.

At verò videtur dari posse aliquod medium, quo partes oppositæ conciliantur: ex eo quod per propriam experientiam non constat, nos aliquid producere ad extra præter motum, inferunt Atomistæ, idem evenire in aliis corporibus; ex eo igitur, quod constat per experientiam, nos ad intra producere aliquid à motu distinctum, inferre poterunt Peripatetici, hoc quoque alias substantias posse, tanquam proprietatum suarum radices. Habebit ergo ignis suum calorem, rosa suum odorem, quamvis non propagetur nisi per atomorum profuvia: atque hoc modo plerosque effectus explicabis; quanquam supersint aliqui, in quibus hæc etiam explicatio suas habet difficultates.

CAPUT III.

De Causa materiali, formali & finali.

IN his sunt 1. materia & forma veluti causæ intrinsece propriè dictæ, quia, uti explicatum est, sunt id, unde per se aliquid fit. Earum causalitas in actu primo est ipsa earum entitas apta ad hoc, ut mediante unione seipsas communicent toti; unde earum causalitas in actu 2. est unio ipsa, per quam resultat

H

torum

totum compositum, quod est illarum effectus. Hoc autem totum non distinguitur à partibus simul sumptis, quia collectioni omnium partium nihil deest ad hoc, ut ipsa sit totum: hinc iudicamus quartam illam entitatem Scotisticam materiæ, formæ, & unioni sine necessitate & fundamento superaddi.

2. Est causa materialis extrinseca respectu formæ, quam sustentat; hæc enim plus confert ad generationem formæ talis, quam ad productionem formæ, v. g. animæ rationalis, quæ creatur: ergo cum respectu istius sit conditio physica, erit respectu illius causa, quatenus est subiectum naturæ prius, recipiens in se immediatè actionem productivam alicujus effectus, essentialiter indigentem tali subiecto. Unde causalitas illius in actu 2. est hæc actio, per quam ita receptam effectus progerminat, & emanat.

3. Sunt causæ intentionales, imprimis finalis, cujus obtinendi gratiâ aliquid fit: unde ejus causalitas in actu 1. est aptitudo, quam res aliqua habet ad pelliciendum in sui amorem voluntatem & appetitum, quæ aptitudo consistit in quadam bonitate objectiva honesta vel delectabili, non semper vera, sed sæpius apparente tantum, quâ miseri mortales sæpe nimium quantum alliciuntur. Unde Philof. 8. Ethic. 2. ait: *Amat unusquisque non quod ipsi bonum est, sed quod apparet.* Et causalitas ejus in actu 2. est positio hujus effectus dependenter ab hoc fine. Ex quibus satis intelligitur, quid circa causam moralem & exemplarem dicendum sit.

CAPUT IV.

Quænam agant propter finem?

Agens dupliciter operari potest propter finem, formaliter & materialiter: formaliter quidem, cum cognoscit finem ut finis est, & media cum aptitudine & proportionem, quam habent ad consecutionem istius finis. Materialiter autem, cum agens cognoscit finem & media, sed non quæ talia cum proportionem, quam invicem habent. Reliqua, quæ nec cognoscunt finem nec media, propriè non agunt, sed aguntur in finem, licet aliqui loquantur aliter. Cum igitur ex S. Thomæ & communi doctrina, omnis actio fiat propter finem, qui velut causa prior movet reliquas, quæritur, qua ratione agens quodlibet propter finem operetur?

Imprimis agentia intellectiva agunt formaliter propter finem. Patet, quia Deus, Angeli & homines cognoscunt finem, ut finis est, item proportionem mediorum cum fine, ita ut eligant circa media; quod quidem in Angelo & homine fit per consultationem, deliberationem, & intentionum vicissitudinem: in Deo autem sine ulla mutatione intrinseca; cum velut agens immobile, æterna & immobili voluntate propter finem immutabilem operetur omnia; unde ait Script. *Tu idem ipse es.* Hic autem finis est Deus ipse juxta illud Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Quod de fine ultimo intelligendum est; habet enim præterea Deus alios fines non ultimos; sic bona sensibilia ordinavit in bonum hominis, ita tamen, ut omnia redundent in Dei gloriam & honorem.

2. Agentia sensus & rationis expertia, licet ponant actionem, quæ est propter finem, potius tamen dicenda sunt agi, & dirigi in finem, quam agere propter finem. Patet, cum finis vim suam exerat, quatenus cognoscitur & ap-

pre

prehenditur; talia autem entia non operantur ex intentione, quæ sit in illis, sed quæ est in Auctore naturæ. Hinc est, quod S. Thomas illa comparet cum sagitta, quæ à sagittante ad scopum impellitur. Si dicatur ejusmodi agentia sæpius à fine deficere & procreare monstra, consequenter à Deo non dirigi: dic, Deum etiam in hujusmodi monstris suos habere fines, juxta illud Christi de cæco nato: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

Major est difficultas in brutis, quibus aliqui tribuunt nimium, alii nihil; media via multis videtur optima, si nempe dicatur, bruta agere propter finem materialiter, non tamen formaliter. Prima pars patet; quia bruta nituntur in finem, quem cognoscunt, & assumunt media ad illius consecutionem necessaria; sic canis ostenso panem accedit, ut illum comedat. Pars altera probatur, quia bruta ita assumunt media ad finem, ut tamen non cognoscant reflexè hanc mediorum aptitudinem & proportionem ad finem, proinde nec consultant, nec deliberant, nec media comparant, aut inter illa eligunt, aliàs ratiocinarentur, quod planè non possunt, cum Script. dicat: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

Conf. Quia bruta ejusdem speciei agunt uniformiter: sic feles insequuntur mures, lupi oves, hirundines ejusdem generis nidos ædificant &c. ergo signum est, quod non agant formaliter propter finem, attendendo ad mediorum proportionem, illa comparando & eligendo, aliàs agerent sæpè diverso modo, uti homines solent. Bruta igitur feruntur in objectum sine deliberatione & libertate ex instinctu & impulsu naturali, qui partim provenit ab intrinseco ex cognitione objecti conjuncta cum appetitu, partim ab extrinseco à varia objectorum determinatione, quibus bruta simul feruntur in finem & media; eo ferè modo, quo nos fallente vestigio corpus sic in alteram partem libramus, ut maneat in æquilibrio, quod certa lege & instinctu naturæ citra ratiocinium perficimus.

Sed tamen, ut dicis, bruta tendunt in media, quæ proportionem habent, & sunt ad finem accommodata: agunt igitur formaliter propter finem. Deinde canis videns panem & baculum videtur deliberare, dum paulisper accedit, tum sistit gressum, aut recedit: ergo agit eligendo, & comparando media. Ad hoc resp. bruta equidem tendere in media accommodata specificativè talia, non autem talia reduplicativè, cognoscendo ipsam proportionem, quæ cum sit aliquid abstractum, non est objectum conveniens bruto, quod utpote materiale duntaxat fertur in objectum sensibile. Canis verò nullatenus deliberat; ad accessum enim aut recessum rapitur instinctu naturali, prout nempe species panis aut baculi seu verberum magis radiant, magisque sensus internos feriunt; non igitur se determinat, sed determinatur. Exemplum habemus iterum in nostris actionibus non deliberatis: sic dum adurimur, illico retrahimus manum, quin tamen judicemus, hanc retractionem esse medium ad vitandum calorem: alius attollit manum & fricat barbam, quin tamen cogitet, hoc esse medium ad finem; taliter crediderim, bruta ad fines suos ferri per media.

Scio multa alia opponi posse omnino mira, quæ de elephante, simia, psittaco, apibus, formicis, &c. leguntur: hæc tamen omnia sine ratiocinio explicanda sunt; uti enim nos ipsi integras orationes recitamus, pulsamus instrumenta musica, aliæque mira præstamus sine speciali reflexione & ratiocinio; quando nempe jam præcessit specierum coordinatio, & instrumentalium corporis partium dispositio: sic etiam bruta poterunt sibi convenientia præstare

ex specierum coordinatione, phantasmatum serie, & aliis determinantibus extrinsecis; quæ tamen omnia non sunt uti in homine per reflexionem acquisita, aut animæ imperio subjecta, sed partim ab Auctore naturæ brutis indita, partim ab aliis causis extrinsecis iisdem impressa. Et certè natura mirabilis etiam est in magnete, gemmis, plantis aliisque sensu & ratione carentibus, quod haud dubiè in illius Auctorem referri debet.

CAPUT V. De Causis per accidens.

CAUSA per accidens duplex est, una quæ hîc & nunc non influit, sed tantum per accidens conjungitur causæ influenti, uti est musica in musico ædificante: altera est, quæ influit in effectum à se non intentum, ad quem nempe non est ordinata, si est causa non libera, aut non intentum, vel probabiliter prævisum, si est libera. De priori hîc non agimus; quia, cum non influat, propriè non est causa. Posterior autem dividitur in casum & fortunam, ad quas reducitur fatum, & causa Monstrorum.

Casus, ut hîc sumitur pro causa, non pro effectû, est causa non libera per accidens influens in effectum rarò contingentem. Sic casus fuit, quo in ruinis templi, terræ motu concussi, puer intra concavum campanæ ambitum sanus reperiatus est; sic etiam casus est, si tegula decidens prætereuntem vulneret. Fortuna est causa per accidens effectûs rarò contingentis in creaturis, quæ agunt formaliter propter finem, cum nempe causa libera ponit effectum non intentum, vel non expectatum, & probabiliter prævisum: sic fortuna est, si præter intentionem fossor terræ inveniatur thesaurum; & ipse effectus seu inventio thesauri dicitur effectus fortuitus, quem cum fortuna confundit vulgus. Sic etiam fortuna est, si aleator liberè ludens aliquoties projiciat senarios, etiamsi hoc intenderit & optaverit, quia hic effectus, uti supponitur, non fundatur in aliqua causa naturali per se, aut in dexteritate projicientis.

Porro respectu Dei nullus datur effectus fortuitus, aut casualis; uti enim pulchrè S. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 4. *Nihil in ista totius creature amplissima quidem, immensaque republica est, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Hic enim cuncta prævidet, & sine ejus providentia, ut habet Evangelium, nec perit capillus de capite nostro; effectus autem malos seu peccata, non intendit, sed duntaxat permittit. Effectus igitur casuales & fortuiti dantur tantum respectu creaturarum, qui prout sunt boni aut mali, fortuna prospera aut sinistra dicitur. Hinc est, quod Arist. dixisse fertur: *Ubi parum ingenii, ibi plus fortune*; quia scilicet fortunatus multa non prævidet, quæ præditus meliori ingenio prævidisset. Unde etiam Gentiles antiqui finire fortunam Deam cæcam.

FATUM à variis variè sumitur. Ethnici antiqui per fatum intellexerunt necessitatem omnibus dominantem, cujus leges in Jovis Dipthera descriptæ etiam à Diis mutari non possent. Priscillianistæ Hæretici intelligebant dispositionem quandam omnium rerum necessariò consequentem ad impressionem cæli, & ordinem ac motum stellarum. Calvinistæ intelligunt præscientiam & voluntatem Dei, inferentem hominibus necessitatem ad actiones omnes. In hoc triplici sensu fatum rejicitur ab omnibus rectè sentientibus, ut falsum & impium.

Peg

Per fatum autem Catholici, licet hoc nomen raro usurpent, ne dent ansam erroris, intelligunt concatenatam causarum secundarum & effectuum seriem, infallibiliter sequentem juxta Dei providentiam omnia suaviter disponentis, absque ulla in creaturis liberis necessitate antecedenti. Unde fatum à Boëtio dicitur: *Inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam Divina Providentia suis quæque necit ordinibus.*

Monstra quoque inter effectus casuales numerantur, & ab Arist. 2. Phys. dicuntur peccata naturæ, quando nempe hæc agendo finem suum non assequitur ob aliquod principium corruptum aut confusum, vel à fine suo deficit ob impedimentum aliquod raro contingens. Causæ monstrorum sunt 1. Redundantia vel defectus materiæ, aut alterius requisiti, præsertim dum prima formantur rudimenta: sic ex abundantia aliquando nascitur homo cum 6. digitis; subinde autem ex defectu sine brachio aut digitis. 2. Est confusio seminum & materiæ, sic nascitur mulus & leopardus, qui tamen communiter non appellantur monstra, quia non raro contingunt. Africa tamen juxta commune proloquium parens monstrorum dicitur; quod propter aquæ penuriam diversissima animalia convenient ad Nilum, & Nigrum. 3. Est defectus virtutis formatricis: hinc nascuntur aliquando sine distinctione digitorum, aut malè tornatis manibus & membris; de quibus plura, ubi de origine animalium. 4. Est intemperies qualitatum per excessum & defectum: hinc ex defectu caloris quidam pueri nascuntur cani, sicut ex nimio calore & humido nascuntur aliquando barbati; hinc etiam resultat cerebri, aliarumque præcipuarum corporis partium intemperies & mala dispositio. 5. est agens intrinsecum adventitium: ita sæculo priore, uti refert Gasendus, pectori cujusdam rustici ex arbore in vespere casu decidentis inhæsit spina, quæ carne postmodum intumescendo avelli non potuit; sed verno tempore ramusculi & tenues frondes inde progerminabant, qui ramusculi postmodum amputati pullulare non cessabant.

6. Et crebrior monstrorum causa est vis imaginatrix matris, quæ vel corpuscula materiæ, dum prima formantur organa, à scopo per motum extraordinarium aberrare facit, vel impressiones extraordinarias in foetu causat. Constat enim ab experientia quotidiana, vim animi fictricem seu potentiam imaginativam posse per spiritum immissionem, sanguinis impulsu, nervorum motum &c. varias corporis partes diverso modo afficere, prout diversa est imaginatio & motus in cerebro, ex quo consequuntur motus alii. Et ratio est, quia sicut ab aliis partibus datur communicatio motus usque ad cerebrum, sic etiam datur à cerebro in partes alias; quod infertur ex structura corporis, & debetur imperio animæ, corpori unitæ. Poterit igitur vis matris imaginativa etiam in foetum sibi adhaerentem agere per similem motus communicationem, & quidem eò facilius, quod teneriora sunt illius corpusculi organa, quæ levem etiam impressionem admittunt, sicut organa matris in cerebro, quamvis talis impressio non alibi fiat in corpore matris jam consolidato. Quod si hæc motus communicatio & impressio ex repentino, v. g. horrore sit vehementior, læduntur etiam aut disrumpuntur membra foetus. Sic legimus matrem, viso capitalis rotæ supplicio, infantulum fractis membris edidisse.

